

cum cæteris ducibus nostris consilio, captiuatoque Morono, illius habita confessione totam seriem negocii complectente, satis conformi ad ea, quæ Marchio nobis suis literis insinuauerat: collecto exercitu nostro undique sparsa, aliquot ciuitatibus munitis, Mediolanum progreditur: ducem Franciscum interpellat, ut pro securitate nostra, nostrique exercitus, arces et castra dicti status in nostrorum manu reponeret, idque custodibus illarum exequendum committeret. Annuit dux ipse, ut omnia nostris traderentur, prout effectum tradita fuere: duabus dumtaxat arcibus principalioribus, quas ipse munierat, Mediolani scilicet, in qua ipse recludebatur, et Cremonæ exceptis. Has enim duas in se reseruandas censuit, donec de nostra uoluntate certus fieret: offerens interim illas nostro nomine tenere, ac etiam obsides dare, ac per se, et per præfectos arcium iuramentum præstare, quod ex ipsis arcibus nullum exercitui nostro damnum, seu præiudicium fieret. Non placuit hæc securitas ducibus nostris. Vident periculum in mora, si arces illæ magis munirentur, liberaque permanerent, posse inde exercitus nostri ruinam succedere, resque nostras in euidenti periculo remanere. Interpellant denuo, ac iterum atque iterum requirunt sub rebellionis pœna, et læsæ Maiestatis criminis confessi et conficti, quatenus ipsa arce Mediolani in potestate nostra ac nostrorum posita, exiret, sique copiam faceret: et aduersus ea, de quibus culpabatur, defensiones ac iustificationes (si quas habebat) proponeret: duosque eius rei conscios, quos penes se habebat, in arce reclusos, dimitteret interrogandos ad ampliorem rerum gestarum dilucidationem. At cum Dux ipse his non annueret, nisi a nobis mandatum haberet, nostri arcem circumuallant, interimque nos de gestis admonent: necessarias causas, per quas ad hæc coacti fuerant, enarrant: approbationem gestorum a nobis expostulant, instant ut eidem duci Fran. rescribamus, mandemusque ut arcem nobis aut nostris tradat. Nos ægre ferentes rem hanc præter mentem nostram tentatam: nunquam uolumus nec illorum gesta approbare, nec duci (ut petebatur) mandare quod castrum dimitteret. Semper enim in animo habuimus eam acuationem, quæ in Ducem ferebatur, debito iuris ordine tractare ac terminare. Verum nunc perspecto eius rei exitu, ex quo præteritorum ueritas elici potest, cum præparatæ iam diu factionis effectus illuxerit, quo magis deinceps eisdem nostris ducibus credere debeamus, non possumus non laudare et approbare eorum prudentiam, et fidem in conseruatione dicti status, ipsiusque nostri exercitus, illiusque arcis assecuratione, ne amplius muniri posset, neue inde maioris mali et incommodi occasio præstaretur. Nec id quidem ita peperam et iniuste gestum uidetur, prout S. V. sibi persuadet. Dato enim fundamento, quod ipse dux Franciscus læsæ Maiestatis reus accusaretur: et si unius dumtaxat testis adesset depositio: ubi plurimum tamen adest testimonium, ex quibus etiam si socii criminis, ac factionis participes, poterat iuramento contra ipsum etiam ducem procedi et ad capturam et ad torturam, et cogi ut sui copiam faceret, ac in uinculis causam diceret, suasque defensiones et iustificationes carceratus adduceret: non autem in arce reclusus andiri debuit: quinimo contra eum uocatu, et non comparentem, ac se subtrahentem, et resistentem potuit in eius contumaciam pronuciari, ut pro confesso et conuicto haberetur. Sed et priusquam id fiat, accusato non comparente, nec sui copiam faciente, licite, ad manus curiæ reducuntur illius bona, quæ etiam a die ingressi criminis, ipso iure publicata, confiscataque censentur.

Sicque hinc non tanta causa gemitus et doloris V. S. parata uidetur, si dominus uasallum ingratum, et læsæ Maiestatis reum puniendum censeat: ni forsam (quod in mentem nostram cadere non potuisset) id gemendum, dolendumque putent, quod eidem hanc foueam, in quam incidit, sub charitatis specie parauerint, ipsumque ad huiusmodi discrimen deduxerint. Sed potius ingemiscere, ac dolere deberet non solum V. Sanctitas, sed uniuersa Respub. quod sine iusta causa, siueque culpa nostra, tam ingens excitetur incendium, quo et turbatur uniuersa ecclesiæ status, et tota scandalizatur christiana religio. Nec sane intelligere possumus, quod cuncti christianitatis reges (ut V. Sanctitas ait) id efflagitauerint, nec parati fuerint in re tanti præiudicii arma, et auxilia conferre. Scimus enim, ac pro certo habemus, nec Hungarum, nec Polonum, nec Portugalem, nec Danum huiusce consilii participes, seu conscios unquam fuisse. Anglus autem etsi eius fœderis conseruator, et protector nominetur, nobis tamen aperte suis literis significauit, se nequaquam in id fœdus consensisse, nec mandatum dedisse, nec talem protectionem acceptasse, nec acceptare uelle: licet ad id parte V. Sanctitatis interpellatus, ac instanter requisitus extiterit, se pacis (quam semper efflagitauimus) mediatorem offerendo. Gallus uero etsi cum S. V. ac aliis Italiæ potentatibus fœdus percusserit, ut eo medio mitiores si possit, quam iam ex nostro fœdere obtinuerit a nobis pacis conditiones exhauiat, liberosque obsides recuperet. Retulit tamen aperto ore, quod V. S. impulsu, ac suasu, etiam priusquam in regnum suum liber remitteretur, de ipso nouo fœdere ineundo sollicitabatur. Et sunt qui affirmant, ut ex quibusdam literis percepinus, quod V. S. ipso etiam Gallorum rege non petente, eidem iuramentum relaxauerit, quod nobis præstiterat pro fœdere nobiscum prius inito: quod tamen credere nolumus: quandoquidem res talis omnino a Pastore Christi uicario aliena esse deberet, ne ipsius iurisdictioni sine causa sprete religio ad deteriora incentium præberet. Merito tamen Vestra Sanctitas his uerbis uibit, dimissis consiliis, et conspirationibus, si uerbis addatur effectus, si uere omnis conspiratio dimittatur, cum suam rectam intelligentiam crimen denotet. Quo autem ad ea conuentionum capitula, quæ attulit Herrera, uideamus qualiter S. V. prætentat illa paucis in locis leuiter immutata. Si enim bene cuncta rimentur, omnes articuli, qui cum ipsius legato sic compositi remanserant cum V. S. concludendi, licet ipsam conclusionem V. S. reseruandam assereret, eius potestate, postquam ad nos peruenerat, rescata, atque restricta, mutati penitus ad nos remissi fuere: ita ut nullus fere remaneret intactus, qui non aliam substantiam, aliumque sonum præ se ferret. Omnes tamen huiusmodi mutationes obmisimus, in quatuor ordumtaxat articulis huiusmodi conuentionum: uidelicet xii. xiii. xiiii. et xv. moderationem petentes. In xii. enim ipsorum articulo, qui rem Ducis Ferrariæ complectebatur, licet omnis substantia ultra quam tractatum esset mutari uideretur: consensimus tamen nos effecturos eum effectum, quod eadem S. V. intra præfixum tempus, dum sibi expedire uideretur, sine cuiuspiam resistentia, siueque armorum apparatu recuperare posset, possessionem Rhegii et Rhuberiæ, tenendam et possidendam prout antea tenebat: ita ut non intelligeretur præiudicatum iuribus Imperii, aut cuiuslibet alterius, prout eadem Sanctitas admitebat: id solum addidimus, quod ad alliciendum ipsum Ducem Ferrariæ ad ipsius fœderis contributionem, ut nulla subsisteret in Italia

turbationis causa, V. S. eidem Duci inuestituram concederet Ferrariæ, remittendo eidem quascunque penas, et ius commissi: ac absoluendo eum a censuris forsam incurris: quod profecto non nisi ad maiorem quietem Italiæ petebamus: non ignorantes ipsum Ducem non aliter sine armis cogi posse, ut Rhegium et Ruberiam dimitteret, ac S. V. restitueret: in quibus et in re feudi Imperialis, et ratione prioris spoliis se potius tuendum censebat. Unde ad præuidendos nouos belli tumultus, et ne remaneret cuiusuis incendii scintilla: sed uniuersa Italia in eo fœdere sine quouis scrupulo concurreret, id ita agendum necessario censentes, ni prout nunc agit V. S. nos etiam sub specie defensionis fœderis iam percussi ad ipsius ducis Ferrariæ offensionem astringere uoluissimus. In qua re nouos bellorum tumultus timebamus: quos tamen effugere nequiuimus: qui dum ab offensione nos abstinere curamus, defensionis status, dignitatis et auctoritatis nostræ intendere cogimur, et inuiti trahimur. Qua de re huiusmodi nostram additionem nequaquam respuendam a V. S. putabamus. In hoc enim nec V. S. auctoritati derogabatur: nec a ueri Pastoris officio declinabatur: sed potius publicæ quieti consulebant. In xiii. ipsius fœderis, seu capitulationis articulo, illam salis distributionem in statu Mediolani continente, ex quinque correctionibus per V. S. factis, eas omnes admittimus: eo dumtaxat excepto, quod ubi V. S. deleri fecerat illa uerba ad eius uitæ decursum, satagens illud ius sibi et successoribus perpetuare: nos qui dumtaxat personæ S. V. eius uita comite, gratificari uolebamus, non autem statum ipsum Mediolani sacri Imperii feudum perpetuo ecclesiæ Ro. astringere, et tali onere semper grauatum remanere sine spe libertatis, nolentes etiam ipsum Serenissimum Archiducem fratrem nostrum iure sibi in ea re concessio perpetuo exclusum remanere: nolumus illam cancellationem approbare: sed uerba illa ad eius uitæ decursum, prout in capitulatione, quam attulit Herrera, firma manere censimus. Ex ultima uero ipsius articuli correctione admittimus eam partem additionis ibidem per S. V. factæ, ut esset illa conuentio absque præiudicio sedis Apostolicæ. Ea autem uerba quæ his subiungebantur: uidelicet de sale ipso in ducatu Mediolani distribuendo, eum uiderentur relatiua et subsequenti ad iura sedis apostolicæ, uideremurque fateri ius esse apostolicæ sedi illius distributionis, nolumus admittere, ne fateamur quod non erat: sicque in huius articuli correctione nulla S. V. fiebat iniuria: sed potius nos, et fratrem nostrum, ac sacrum Ro. Impe. ab iniuria eximebamus: et non sub uerborum inuolucro disceptationis causam relinquere uolebamus: sed clare et aperte dubium omne tollebamus. In xiiii. autem articulo ipsius capitulationis, unde illæ lachrymæ, illæ angustię prodire, addiderat S. V. in fine ipsius articuli dispositionis de statu Mediolani, et de duce Francisco Sforcia, hæc uerba formalia: Et quia ipsi Francisco Mariæ duci nonnulla imputantur contra Cæsarem, aut a sua Maiestate sibi concessam inuestituram, et feudum perpetrata: cupiens eadem Maiestas, quantum in se est, fouere Italiæ quietem, quæ seruari non posse creditur cum eiusdem Ducis a statu et ducatu remotione, ideo conuentum est, quod idem Dux in statu ipso permaneat: et quatenus opus sit, in eo per Cæsarem de nouo confirmetur: non obstantibus quibuscumque per eum contra Maiestatem suam (ut supradictum est) attentatis, etiam si saperent crimen læsæ Maiestatis. Cæsar namque Ducem ipsum pro innocente habere uult, et ex mera liberalitate sua, ac totius Italiæ intuitu, to-

tum sibi remittit et indulget: etiam si plus quam dicitur, aut creditur, errasset. Videat quæsumus S. V. quam lauis existimanda foret hæc immutatio: quam iusta, et quam honesta petitio, quam optimum esset exemplum ad respu. bene gerendas, ad nasallos, et subditos in debita fide, et obedientia erga dominos continendos: quam egregiam præberet formam augendi, et conseruandi sacrum Ro. Impe. a Deo institutum, a prophetis prædictum, ab apostolis prædicatum, et ab ipso CHRISTO nascente, uiuente, et moriente approbatum. Nos tamen qui nil aliud quam pacem, quam quietem Reip. christianæ cupiebamus: et quantum fas esset, S. V. satisfacere: nullumque rectæ nostræ intentionis testimonium intactum, aut dubitationis scrupulum in V. S. mente relinquere putabamus, reformauimus dictum quantumdecimum articulum ipsius capitulationis in hæc uerba: Ut autem nihil dubietatis, seu suspicionis in hoc fœdere relinquatur: sed omnis scrupulus de medio tollatur: cum in priori fœdere potius sub nomine proprio, quam appellatio includi uideretur Illustris Franciscus Sforcia dux Mediolani, qui aliquibus iam mensibus graui nexatus ægritudine, et in summo uitæ discrimine constitutus, fuit etiam de feloniam, ac læsæ Maiestatis crimine accusatus, seu inculpatus: et si hunc aut naturali morte, aut ciuili (iustitia præuia) ab ipso Ducatu Mediolani excidere contingeret: hæsitari posset, an fœdus ipsum ad alium in eodem Ducatu ex Cæsaris concessione, nel dispositione succedentem protenderetur: ideo ad ampliorem ipsius fœderis declarationem, actum exitit: quod siue ipse Illustris Franciscus Sforcia uitam obierit, et ab hoc seculo migrauerit: siue per uiam iustitiæ dicto Ducatu fuerit priuatus, in eum casum Cæsarea Maiestas pro Italiæ quiete, et contemplatione S. D. N. ipsius Ducatus Mediolani inuestituram concedit Illustri Carolo Duci Borbonii, et Arueniæ: ita quod S. D. N. et cæteri confederati, qui in hoc fœdere noluerit comprehendere, sint et censeantur astricti ad defensionem ipsius status Mediolani: etiam ad opus dicti Illustris Ducis Borbonii, dum de ipso Ducatu Mediolani fuerit inuestitus. Quo casu quantum ad omnia in fœdere contenta; tanquam suffectus in locum dicti Illustris Francisci Sforcie, fungatur omnibus honoribus et oneribus, quibus ipse uiuens, et in tali statu permanens fungi debuisset. Hæc est immutatio, quam in hoc articulo fecimus: quam uelut iustitiæ et æquitati consonam approbandam, et nequaquam respuendam censemus: minimeque in mentem nostram cadere poterant, summum Pastorem uices Dei gerentem in terris adeo pertinaciter insistere debuisse quod si Dux Franciscus tanti criminis reus appareret, impune euaderet: cogemurque inuiti illi indulgere, ac eum in statu illo conseruare: sic incentium maioris ingratitude, maiorisque delicti illi præstando. Arbitrabamur enim V. S. sat esse debere, si Ducatu illo ad nos, et sacrum Imp. deuoluto, consentirebamus S. V. intuitu, ut nec illum retineremus, nec proprio fratri concederemus, si personam quam S. V. antea ad id gratam habuerat, nobisque nominauerat, moriente duce Francisco prouidentiam non minus gratam esse putaremus ipso duce Francisco per iustitiam priuato: ut quod in naturali morte consenserat, in illius etiam morte ciuili recusaturus non esset. In xv. uero ipsius capitulationis articulo continente prætentas nouitates tentatas contra ecclesiasticam libertatem in regno nostro Neapolitano, cum V. S. fere totum articulum in uerbis dispositiuis deleuisset, et cancellasset: his dumtaxat uerbis pro dispositione dicti articuli additis, et commutatis: quod circa huiusmodi obseruentur, quæ in inuestitura regni Neapo-

litani ipsi Cæsari concessa continentur. Nos hanc etiam correctionem et mutationem pro V. S. nutu admisimus: additis dumtaxat in fine articuli uerbis sequentibus: uidelicet His modis et formis, quibus per Ferdinandum Regem catholicum eius antecessorem obseruata fuere: et iuxta ipsius regni priuilegia ac iura. Quid enim in hoc immutatum, quod respuendum uideretur, si antecessoris rectos tramites insequendos putamus: si iura ac priuilegia regni nostri seruare studemus? Qualiter autem ex his mutationibus tam iustis rationibus suffultis, sumat V. S. illud perspicuum (ut ait) indicium se a nobis illudi, et pro nihilo haberi, qualiter inferat ex his facultatem primo concessam Herreræ uberiorem fuisse: et quod facta concordia cum Christianissimo, restrictiora et ieiuniora transmiserimus, qualiter et quo colore ex his præterdat indicari eandem Sanctitatem postremam esse, et a nobis contemni, ubi nobis cum aliis amicitia conuenisset: quicumque recti sensus, et a passione alienus facile hæc iudicare poterit. Nos enim semper recti, integrique propositi remansimus, prius cum V. S. quam cum quouis alio conueniendi. Nos et ante et post fœdus cum rege Gallo initum semper in eodem proposito permanentes, V. S. eiusque ministros pro huiusmodi fœdere inuendo sollicitauimus, pulsauimusque, nec quicumquam unquam habuimus in ore, quod non haberemus in corde. Nos Herreram ad S. V. pro eo fœdere inuendo misimus longe antequam cum ipso rege Gallo concluderemus, citiusque illum, aut alium misissemus, ni V. S. legatum reuerendissimum uenientem (ut aiebat) cum amplissimo mandato nobiscum concludendi, prætolandum censuimus: ni etiam post illius ad nos aduentum, uiso mandato, quod a V. S. habebat: et confisi, quod illo uti posset, diutius cum eo de ipsius fœderis capitulis tractantes, tempus inaniter consumptum esse cognouissemus: ubi capitulatione iam formata, et cum eo prope concordata, dum de conclusione ageretur, nobis insinauerit, quod ex quo post eius a V. S. recessum, mutata essent negocia, intenderet conclusionem differre, donec V. S. consulisset. Ob quod sanctius putauimus, capitulationem ipsam, prout formata fuerat, ad V. S. per Herreram transmittere: putantes rem ibidem celerius posse concludi, licet spe nostra frustrari fuerimus, S. V. ad alios fines tendente, prout exitus demonstrauit. Nunc ad literas manu V. S. conscriptas, de quarum responsione conqueritur, deueniendum est: ut etiam inde omnem a nobis repellamus culpam. Ea enim per V. S. eius responsionis culpa nobis in tribus impingitur. Primo quod ubi S. V. clementiam duci Mediolani petebat, nos rigorem Iustitiæ obtulimus: ad quod satis diffuse responsum dedimus, dum ipsius ducis negocium antea discussimus: ut sic repetitione non egeat. Id solum hic adiciendum censemus, non uideri in hoc iustam S. V. querelam, si iustitiæ uiam amplectendam censuimus, sine qua uera pax esse non potest, cum iustitia et pax se inuicem deosculentur. Et ut ad clementiam deueniatur, prius ueritas est habenda. Sunt enim (teste Psalmista) quatuor sorores conuincatæ. Iustitia et Pax osculatæ sunt, Misericordia et Veritas obuauerunt sibi. Qui igitur misericordiam expectat, reatum fateatur oportet: qui pacem uult, iustitiam amplectatur. Nec ita pasim utendum est clementia, ut delinquendi incentiuum præbeatur: sed potius ad bonum regimen spectat. Parcere subjectis et debellare superbos. Non enim indulgendum uidetur his, qui contumaciter in rebellionem persistunt: his qui in arcibus munitis se continent: his qui iustitiæ executionem satagunt euitare. Secundo redarguitur nostra responsio, quod pro culpa quam V. S. in quibusdam esse dicebat,

V. S. quodammodo criminemur, illos immunes criminis fatendo. Sed absit tantus error, quia nil in ipsa responsione, quam propria manu conscripsimus, legi poterit, quod criminationem sapere uideatur: sed potius uenerationem, et obseruantiam Vestræ Sanctitatis, quam semper uelut in uerum Patrem et Pastorem præcipuum habuimus. At si id Vestra Sanctitas criminationem putet, quod ea asserente, duces Franciscum in aliquo forsitan errore, alios quosdam in uera (ut aiebat) ribaldia incurrisse: ex quibus aliquis forsitan iam Deo computum reddebat: nos intelligentes hæc a V. S. referri ad criminandum Marchionem Piscariæ tunc uita functum, qui (ut præfertur) antea uiuens nobis illius factionis practicas detexerat: respondimus, de mortuis modeste loquendum esse, ac in dubio potius bene quam male præsumendum: hominemque mortuum qui per se respondere non poterat, potius laudandum quam uituperandum seu culpandum: nosque cupere mortuum uiuere, ut de seipso rationem redderet. In Duce autem non errorem, qui in facto proprio cadere non poterat: sed si ea quæ illi erant obiecta, uera apparerent, crimen potius acerrimum, ac exemplari punitione dignum censerit. Hæc quippe nullam in V. S. criminationem afferunt, ni forsitan V. S. seipsam diuidicans, fateri uellet (quod non credimus) se eius factionis consciam, auctoremque fuisse, prout Marchio uiuens nobis retulerat: quem forsitan ob id de ribaldia arguendum censeret, quod præter fidem datam illius factionis secreta detexisset: quæ tamen ex eo fidelitatis debito, quo nobis prius astringebatur, tacere non poterat, quin seipsum eiusdem criminis reum faceret: ubi propalando tale facinus, ueniam, præmiumque et laudem, iure ita disponente, consequeretur. Tertio redarguitur eadem nostra responsio, quod quæ V. S. nobis benigne et large pollicebatur, ea nos tanquam debita et obligata sanctitatem. Sed uideamus qualia essent eiusdem Sanctitatis pollicita, qualisque fuerit responsio nostra, ut etiam hanc culpam diluamus. Hæc enim V. S. in suis literis sub silentio pertransit, aliis causam deterius cogitandi relinquens. Ut igitur horum ueritas clare pateat, offerebat nobis V. S. si illius uotis, quo ad ipsum Ducem Franciscum annueremus, se nobis non solum decimas, et cruciatas, ac pileos, et quicquid per spirituale ac temporalem potestatem facultatis haberet, præstaturum: sed etiam sanguinem et uitam ad nostram exaltationem et satisfactionem exhibiturum: Respondimus non conuenire Reipu. christianæ cruciatam tali conditione perstringi: sed potius libere ac sponte offerendam: nec congruum uideri, ut illa differretur. Petieramus enim illam in nostris his regnis concedi eo ordine, quo nostri prædecessores illam semper a uestris antecessoribus obtinuerant, pro promontoriis in Africa quæsitis aduersus hostes fidei tuendis, ac propulsandis: quibus ad eum effectum nusquam fuerat denegata, et minus nobis huiusmodi ecclesiæ thesaurum a V. S. denegandum seu differendum censebamus: qui ultra res Africanas, prout V. Sanctitati insinuauimus, cupiebamus etiam cum ea pecunia, quæ ex ipsa cruciata colligeretur, rebus Hungaricis aduersus Turcas succurrere, prout et religionis et officii nostri, et sanguinis ratio nos incitabant, pollicebamurque eam pecuniam nequaquam in alios usus implicandam. Quod si ex ipsius cruciatae denegatione, seu dilatione quid sinistri christianitati contingeret, hostesque fidei quicumque molirentur, cum iam tot bellis contra nos, et statum nostrum tentatis, exhausti essemus: nec sine ipsa cruciata occurrere possemus, protestati fuimus id nequaquam nostræ culpæ ascribendum, sed potius ei-

dem imputandum, qui id denegaret: quod sibi non noceret, et toti christianæ reipu. summe prodesse poterat. De pileis autem diximus unum dumtaxat a uestræ foelicis promotionis exordio a nobis petatum, quem non putabamus tam diu differendum: cum esset prima gratia a V. S. manu etiam nostra conscriptis literis petita, ac instanter flagitata. Alter uero pileus petitus non fuerat: sed ultro a Vestra Sanctitate oblatus, nostroque consensu acceptatus: sicque alienum censebamus, eos nunc pileos tali conditione perstringi: quos tamen V. S. arbitrio tunc relinquendos putauimus: pollicentes nos de cætero pro his, nec pro aliis quibuscumque pileis ulla facturos instantiam. Reliquas autem ipsius V. Sanctitatis oblationes non solum gratas et acceptas habuimus, pro hisque gratias (ut decebat) retulimus: sed etiam reciproce quicquid facultatis haberemus, uitam quoque et sanguinem pro Vestra Sanctitatis honore ac incremento libere obtulimus. Hæc sunt, Pater sancte, quæ illis literis Vestra Sanctitatis manu conscriptis, nostra etiam manu in effectu respondimus: quas in lucem prodire cupimus, ut utriusque nostrum scriptis bene prospectis, plane discerni possit, an iusta sit culpa, quæ de his nobis ascribitur, an ne huiusmodi nostra responsio talem redargutionem et criminationem mereatur. Ad eam autem accusationem et querelam, quam (ut præfertur) V. S. proponit de nostrorum in Italia agentium iniquitate et contumeliis, ac oblocutionibus, id teste Deo affirmandum censemus, nil tale a nobis, nec nostro iussu prodiisse, nec sub generali nostro mandato comprehendere potuisse quicquam, quod crimen seu delictum saperet. Quod si tale quid nobis legitime constisset, fuissemusque de his (ut decet) edocti: uel etiam adhuc edoceremur, non remaneret hæc impunita: taliterque pro iustitiæ cultu prouideremus, ut nulla nobis horum culpa ascribi posset. De re autem Senensi non recte taxamur: nulla enim iusta culpa nobis impingi potest, qui ad ipsius ciuitatis quietem stabilendam, ac bene regendam egimus quicquid uero, ac iusto principi conuenire uideretur. Est enim Ciuitas illa antiquissima, illiusque respu. Imperiali ditioni subiecta: et supra alias omnes Italiae ciuitates adeo ab omni uero sacro Imperio Ro. addicta, illiusque deuotioni affecta: ut nil supra desiderari queat: habetque propterea ab ipso sacro Imperio, a nostrisque prædecessoribus amplissima priuilegia etiam per nos confirmata: quibus ipsa Respu. regenda ac gubernanda conceditur. Et cum pluribus iam annis, præter ipsorum priuilegorum mentem, eiusdem reip. regimen et gubernium esset a tyrannicis usurpatum, qui non amore, sed timore: non iure, sed potentia, ac potius ui illius subditos continebant: quorum primus Pandolphus Petrucius, inde eo mortuo Borghesius eius filius, ac eo postea auctoritate Leonis Pontificis a regimine expulso, falcem in alienam messem immittendo sua S. nouum tyrannum immisisset Cardinalem Petrucium: qui eo prætextu quotannis decem aureorum millia eidem Sanctitati persolvere conuenerat: sic eandem Remp. Senen. unire satagendo Reipu. Florentinæ, ut inde magis imperii uires in Italia debilitari, seu uerius enervari possent: quem Cardinalem tyrannum nos etiam (quandiu uixit) ut potius Leoni et ipsi V. S. quam nobis et sacro Imperio, ac illi Reipu. satisfieret, in eodem regimine passi sumus. Eo autem Cardinale mortuo, dum inter nostros esset contentio quid magis illi Reipu. conueniret: an sub solo gubernatore forent regendi, an sub ordine ciuium ex Mentibus dictæ ciuitatis erigendo, rem V. S. consilio et ordinationi remittendam censuimus, ut nostrorum contentionem tolleremus, quo-

rum pars una ad unum illius ciuitatis regimen deferendum putabat, altera uero pars ciuibus et populo id committendum satagebat. Electa est tandem inter eos media uia: ut nec unus solus, nec reliqui sine capite gubernarent: ad idque per ciues nostrorum auctoritate præfectus extitit primo Franciscus Petrucius Borghesii patruus. Et cum is V. San. minus idoneus ad id munus esse uideretur, V. San. cum Fabio Petrucio Borghesii fratre affinitate contracta, hunc ipsius ciuitatis regimini præficiendum putauit, ut Franciscum Petrucium illius patrum excluderet, illamque Rempub. ad suæ uoluntatis libitum in manu haberet. Consenserunt in id nostri, qui nil aliud quam S. V. in his et aliis omnibus occurrentibus nostro iussu morem gerere studebant. Admissus est Fabius ipse Petrucius V. S. intuitu, qui intrans ut agnus, et cum omni humanitate receptus: tandem adueniente duce Albanie Gallorum duce, illius præsidio fretus, se non agnum, sed lupum ostendit: ipsamque Rempu. non Imperiali, sed Gallicæ factioni adicere conatus est: eam cogendo, ut Gallis et pecuniam et tormenta bellica ad regnum nostrum Neapolitanum inuadendum erogarent: ipsique ducei Albanie contra nos, et statum nostrum fauerent, ac ad illius nutum extorres ac seditiosos Gallicæ factionis auctores, in ciuitatem reducerent. At cum annuente altissimo de nostrorum uictoria certiores effecti Senenses ipsi a iugo huiusmodi seruitutis se excutere curarent, Franciscus et Fabius, eorumque adherentes, ciuium, ac populi intentione perspecta, ciuitatem cum regimine pro derelictis habent, sequæ ab ipsa ciuitate absentant. Proceditur contra culpabiles: aliqui (ut aiunt) Iustitia præuia plectuntur: aliqui certis limitibus proscribuntur, et confinantur: resque eo deducitur, ut ciuitas, et respubl. Senensis per seipsam in libertatem proclamet, reip. quieti iuxta suorum priuilegorum formam intendat, nostræque ditioni (ut par erat) se totaliter deuoneat. His V. S. ut aiunt, percita, conqueritur suos turbari, maleque tractari, remedium a nobis exposcens. Nos qui nil aliud cupiebamus quam Vestra Sanctitati in his et longe maioribus satisfacere, nostrorumque in Italia agentium opiniones pro debito Iustitiæ concordare, commissimus commendatori Herreræ, quem ad S. V. (ut præmittitur) mittebamus: ut is per dictam ciuitatem Senensem transeundo, in accessu, aut reditu se informaret de ipsius ciuitatis gubernio, et regimine tam antiquo, quam moderno, tam cum ipsis ciuibus in ciuitate manentibus, quam cum extorribus ante expulsis, quid magis ciuitati et Reipub. conuenire uideretur: an uni soli regimen conferendum esset, an pluribus ciuibus ex Decurionum decreto huiusmodi regimen esset concedendum: ut huiusmodi informationibus secrete sumptis, et sub debito sigillo secreti ad nos transmissis, opportune prouideremus. Interea tamen extorres ad suorum bonorum possessionem et fructus, prout prius tenebant, restituendos censuimus. Adimpleuit Herrera quod ei commissum fuerat: sumpsit informationes ab utrisque tam ciuibus quam extorribus: prouidit extorribus super suorum fructuum perceptione, iuribus reip. saluis. Misit ad nos informationes omnes clausas et sigillatas: comperimus melius reipu. conuenire præsens ciuium gubernium, quam unius tyrannide utentis. Duximus nil immutandum, donec aliter rebus omnibus bene perspectis, ordinandum censeremus: interim in lucem prodent aliquorum factiones, qui pecunia corrupti, et ciuitatem prodere, et extorres ac factiosos in eam inducere, et ipsam Rempu. subuertere conantur: uiam per subterraneos cuniculos, perque alia media hostibus et rebellibus ad ciuitatis in-

gressum præparantes: inter quas tres apertissimæ conspirationes, et (ut aiunt) proditioes detectæ sunt: compertis in factiosorum domibus meatibus, foveis, scalis, armis, munitionibus, ac omnibus aliis ad id facinus perpetrandum dispositis. Deprehenduntur (ut audiimus) hi facinorosi in flagranti crimine, capiuntur, fiuntur delictum, detegunt factionis practicas, damnantur iustitia prænia, debitoque plectuntur supplicio. Si hos V. S. inter suos amicos et benevolos annumerandos censuerit: si pro his quæ in eos gesta sunt, querelas præterdat: si ex his sibi contumelias, et opprobria impingi putat: si cum his omnem nobilitatem exterminatam censet, quæ potius in ipsa uirtute consistit, animadvertat S. V. ne grauius pondus humeris suis imponat, neque huiusmodi factionum se consensum tacite fateatur: quod nequaquam illius dignitati et officio conuenire uideretur: cum potissime auctore Deo, cuius nutu cuncta reguntur, ipsa Respublica Senensis suæ iustæ causæ apertum præstiterit testimonium, a tot inuasorum congressibus se suis solum uiribus liberando. Ad illam autem querelam, quam V. S. profert, quod contra promissum et fidem datam, tot mala per nostros in Sanct. Ro. Ecclesiæ terris et locis (ut ait) patrata fuerunt: et si nostrorum militum insolentias, resque iniuste gestas (si quæ sint) nequaquam approbare, nec excusare uelimus, quin potius (ubi fas erit) debita castigatione compescere, non possumus tamen non mirari, quod hic V. S. se promissis et fide data iurare uelit, quibus antea contradicit, et quæ etiam per nos ratificata V. S. respuit, atque reiecit nostram ratificationem impugnans, suamque (ut prædiximus) denegans, indeque ad foedus omnino contrarium transitum faciens. In quem casum non tantum exacerbandum uideretur, si nostri duces et milites, qui sua uirtute et uiribus Parmam et Placentiam ecclesiæ reddidere, ac ab hostium faucibus euulsere, totiesque tutati sunt, in illis uictum quærent, ac de his (prout de reliquis ab hostibus recuperatis) disponendum censerent, potissimum cum ita hæc ciuitates essent ecclesiæ ex foedere Leonis consignatæ, tenendæ dumtaxat eo iure, quo ante per ipsum Leonem tentæ fuerant: quod ius nullum erat, quandoquidem ad feudum pertinerent Imperii, essentque pars ducatus Mediolani, et de illis ecclesia Ro. ualidum titulum, nec ab Imperio, nec ab eo qui dare posset, obtinuerit. Quæ autem de legato et nuncio obiciuntur, quantum illa a ueritate distent, etiam ex ipsorum legati et nuncii assertionem patebit. Quamprimum enim legatus in curiam nostram peruenit, cum iam nuncius se mandatum non habere profiteretur, ut in pace cum Gallo ineunda et tractanda interneniret, interrogatus legatus, si ad id mandatum haberet, respondit se non habere mandatum tractandi nisi nobiscum, cum Gallo autem non habere quid tractaret, nisi ut se mediatorem inter nos, et Gallum pro pace componenda interponeret, si ita nobis expedire uideretur. Egimus illi gratias, nec eius operam (ubi opus esset) refutandum censuimus: et cum illo de foedere inter Vestram S. et nos ineundo (ut prædiximus) tractantes, non cessamus interim consilia nostra, et ea quæ inter nos, et Gallum diutim gerebantur, ipsis legato et nuncio communicare, ut de his V. S. moneretur: in quo profecto non secus, quam in patre plene confidebamus, nihil omnino rei occultandum censes: fecimusque primo eidem legato copiam fieri earum pacis conditionum, quas nos primo obtuleramus, dum adhuc ipse Rex Gallus in Italia detineretur: simul et earum, quæ parte ipsius Gallorum regis per Don Hugonem de Montecateno nobis allata sunt: quibus Rex ipse Gallus in

Italia nouos belli motus ad nostrum (ut aiebat) commodum, suscitare satagebat: quos tamen respuimus, nil aliud quam uniuersorum pacem, et quietem appetentes. Dedimus illi pariter copiam aliorum pacis articulorum moderatius nostri parte propositorum postquam rex ipse in Hispaniam deductus fuerat: et postquam rem cum Ducissa Alanzoni eius sorore communicauimus, simul et copiam responsionum, nouarumque oblationum parte ipsius Regis factarum. Communicauimus etiam eidem legato disputationes, et fundamenta nostra, et Gallorum Regis circa ius ducatus Burgundie, et aliarum rerum nostri parte petitarum, ut sane intelligeret nos optimo iure suffultos esse, nilque iniustum petere. Et inde cum eius negocii conclusio delata fuerit usque in tertium decimum diem Ianuarii, omni negociatione interrupta, ob recessum ipsius Ducissæ Alanzoni, non destitimus, quin mox ipsum legatum de singulis moneri faceremus: omnem substantiam negocii eidem detegendo. Et quippe si desiderasset originaliter uidere omnia capitula foederis per nos cum dicto Rege Gallo initi, et copiam eorum omnium, quæ sibi uiderentur, extrahi facere, id nequaquam ei denegatum fuisset. Et si adhuc V. S. ad omnem tollendam suspicionem, cuperet ipsius foederis capitula uidere: erimus adhuc nunc contenti, huiusmodi foedus originaliter communicare V. S. nuncio, et illius etiam copiam eidem ex integro concedere V. S. transmittendam. Non enim erubescimus, sed potius summe cuperemus, ut foedus ipsum in lucem prodeat, utque actiones nostræ omnibus palam fiant: ex quibus etiam clare liquebit, nil ibidem actum, tractatum, uel cogitatum, quod tum V. S. tum nostræ et aliorum dignitatibus non congruat: nil quod non tendat ad Apostolicæ sedis, christianæque religionis incrementum, infideliumque et hæreticorum extirpationem: nil etiam quod non dirigatur, et disponatur ad uniuersalis pacis et quietis beneficium: nec unquam constare poterit, ipsos legatum, aut nuncium impeditos, seu prohibitos fuisse, quin pro eorum libito ad Vestram Sanctitatem quicquid eis uideretur, præscriberent: cum de his nil mali suspicaremur, Vestræque Sanctitati in omnibus deferre cuperemus, ut in nobis nullum unquam signum alienæ uoluntatis, seu fidei derogationis elici potuerit. Ad illa igitur multa alia quæ Vestra Sanctitas dicit se omittere, non possumus diuino respondere: licet tanquam nostrarum actionum conscii nil putemus nobis obici posse, quin re intellecta, congruum responsuum (prout in superioribus obiectis) accommodare ualeamus. Non habet igitur ex his V. S. significationem aliquam nostri erga eam animi non bene dispositi, non causam iustam de nostra in eam uoluntate diffidendi, non rectam rationem præsumendi, quod aliquorum ex nostris peruersitas, seu maligna suasio tantum apud nos posset, ut nos a recto tramite deuiare compelleret. Hæc enim rectius, et rationabilius (si fas sit dicere) in eandem Vestram Sanctitatem nos, uel illius ministros retorquere possemus. Minusque potuit V. S. de nostra uoluntate dubitare ex pragmaticis in Hispania editis: quæ prout a nostris etiam consiliariis accepimus (quibus in his quæ iuris sunt, merito credere debemus) conformare uidentur, et antiquis regnorum nostrorum priuilegiis, moribus, et consuetudinibus, ac etiam Bullæ Adriani nobis pro patronatibus ipsorum regnorum concessæ, ut his prouideretur ne in ipsa Romana curia ipsa iura nostri patronatus prout diutim tentabatur, supprimit possent. Erat tamen in illis capitulis, quæ attulit ad V. S. Herrera, unus articulus per legatum, et inde per V. S. approbatus, in quo deputabantur iudices, seu arbitri

qui de huiusmodi pragmaticarum uiribus, deque forma conseruandi patronatus regios cognoscerent, atque componerent. Quam uiam etiam sine foedere semper libenter amplectemur, parati semper æquitati, et rationi iura nostra subiicere: itidem facturi de his quæ ad regnum Neapolitanum pertinent: pro quibus nec ab inuestitura, nec a priuilegiis regni quouis modo recedere intendimus; nec illis derogare. Viceregis etiam in Gallia remansio, quicquid V. S. persuasum fuerit, non ad tractandum quicquam nec occultum, nec publicum, sed ad persistendum in obseruatione promissorum: et licet noua per Gallos media proponerentur ut fieret natio, nunquam tam id admissum fuit: nec a priori foedere recedendum putauimus. Et si idem Viceregis ad V. S. uenire nequiverit, id quia noluit Gallus eidem transitum per regnum suum permittere, sed cum ad nos redire coegit: quod prout ipsemet Rex Gallorum, sui que ministri testati sunt; actum dicitur, ne foederati in suspicionem aliquam inducerentur: quam Rex ipse non ita sincere in foedere procederet, si talem ducem, cui tanti regni sarcina incumberet: qui inde pecunias ex eo regno ad nostri exercitus sustentationem colligere poterat, in id regnum ire permetteret, ubi totius expeditionis in nos parata turbari, aut impediri posset executio. Aiuntque quod Vestra Sanctitas, et Venetis, eorumque ministris id flagitantibus, et sollicitantibus impeditus fuerit ipsius Viceregis in Italiam transitus: qui etiam (ut fertur) si Don Hugo intra limites ipsius regni Franciæ eo tempore repertus esset, illum pariter detineri curabant, ut ad V. S. peruenire nequiret: si que magis colorari posset animi Vestræ Sanctitatis a nobis alienatio, et apertius incusari posset ipsius Don Hugonis tardatio, quam etiam V. S. sine iusta ratione accusare nititur: ubi biduo dumtaxat in curia Regis Gallorum apud Viceregem se continuit: ad quem missus erat ad eum dumtaxat finem, ut eum Viceregem (si fas esset) ad iter illud Italicum cum dicto Don Hugone peragendum excitaret. Quod si illum ad id dispositum, seu præparatum non reperiret, reciperet, ab ipso Vicerege uberiorem instructionem de his quæ in regno Neapolitano post expeditum cum V. S. negocium acturus esset: et inde ipse Don Hugo Vicerege dimisso, solus ad exequenda commissa in Italiam transiret: ut sic non recta uideatur illatio, quod ibidem se continerit, ut rerum specularetur euentum. Minusque incensanda uidetur ipsius Don Hugonis mora in Mediolano facta, quæ quintum diem non excessit: cuius etiam mora potius coacta censetur, quam uoluntaria: cum in illius apud Mediolanum primo congressu apparuerint ipsius ducis Suesæ nices nostras in urbe agentis literæ, quibus nunciabatur foedus iam per V. S. cum cæteris esse conclusum: eamque non potuisse induci, ut ipsius Don Hugonis aduentum per aliquot dies præstolaretur, quinimmo resolute respondisse: quod nec per diem, nec per horam ipsius foederis conclusionem differret. Nunciabat etiam arma iam parata, exercitum ad iter dispositum, ut nostros adorirentur. Erat quoque rumor publicus et fama, quod clausi essent passus et aditus ad urbem, quod nostri cursores siue euntes siue uenientes ubique detinebantur, literæque omnes interceptiebantur, nullusque erat tutus accessus ad V. Sanctitatem. His rationibus coactus fuit Don Hugo ibidem supersedere, ac iter suum per eos dies differre, donec a Vestræ Sanctitatis ducibus, ac ministris saluum conductum impetrasset, prout fecit. Qui si interim cum duce Francisco tractare nisus est, ut si posset, illum induceret nostris (ut tenetur) obedire mandatis: utque omni rebellionem cessante, se nostræ iustitiæ et gratiæ

(ut par erat) subiceret: nosque et duces nostros de arce in qua continebatur, securos faceret: ne inde rebus nostris, ac exercitui nostro damnum aliquod emergeret, seu incommodum afferri posset: non est cur de his Vestra Sanctitas conqueri debeat, cui nulla ob id fiebat iniuria: quinimmo ipso duce nobiscum, uel cum dicto Don Hugone, nostro nomine transigente, facilius reddebatur nostra cum Vestra Sanctitate conuentio, tollereturque principalior difficultas illius noui foederis, quod inter nos tractabatur, et quod cum Vestra Sanctitate inire putabamus: ni forsitan Vestra Sanctitas suis cogitationibus, atque conatibus obuiam ire paret, si Franciscus Sforcia sine S. V. auctoritate in gratiam nostram reciperetur, illumque sibi obnoxium non haberet. Quod autem asseritur nostros interim Parmam occulta proditioe eripere tentauisse: id non nobis penitus ignotum sit, nec arbitremur duces nostros rem tam arduam nobis inconsultis ausos fuisse tentare, credimus potius ab aliquo maligno spiritu ad discordiam seminandam adiuuentum, atque confictum: quandoquidem ubi nos Parmam, simulque Placentiam recuperare, feudumque Imperii prout antea fuerat, reunire, et redintegrare uoluissimus: id non occulta proditioe, sed palam et iuste, ac per iuris tramites exequendum fuisset: licet nos semper ita a cupiditate alieni fuermus, ut potius nostra, et Imperii iura negligere, quam publicam quietem turbare maluerimus: et potissime illam sanctam Apostolicam sedem, et catholicam ecclesiam, cui semper (ut par est) deferre conati sumus: sique nostros a præterita proditioe omnino immunes esse censimus: cum potissime nihil aliud, quam de eorum defensione cogitare uiderentur aduersus inuasionem contra eos præparatam, prout rei exitus demonstrat. Unde ex his omnibus criminationibus et querelis in nos adductis, recto super his sumpto iudicio, resultare non possunt tales iniuriæ, seu causæ, quibus V. S. inuita ac gemens (ut ait) de nobis desperare, aut diffidere debuerit: nec ob id (ut asserit) suam amicitiam et beneuolentiam a nobis repudiatam censere, quam potius semper in summo pretio habuimus: nec propterea necesse fuerat V. Sanctitati se tot magnis (ut ait) regibus adiungere, nec hos in odium nostri conuertere: qui non his minorem in christianam rem, et sedem apostolicam animum semper habuimus. Et quippe, si Vestra Sanctitas ab his foederibus et colligationibus contra nos et statum nostrum, ac dignitatem tentatis abstinisset; non propterea (ut inquit) Pastoris seu communis patris laudem amisisset, sed potius magis, atque magis confirmasset, et auxisset. Sicque merito cum Psalmista dicere possumus: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ et principes conuenerunt in unum, aduersus non inquam dominum et CHRISTUM, sed aduersus ministrum et agnum diuinitus institutum, ab ipsomet CHRISTO, a quo omnis nostra pendet auctoritas, et potestas: qui propterea dirumpet uincula, et ligamcorum, et proiciet a nobis innum ipsorum prout in sua diuina benignitate, et clementia, recta nostra intentione, et conscientia freti plene confidimus. Subiungit V. San. quod cum esset res gesta, et fides iniucem data, eademque Sanctitas foedere astricta cum eis regibus accessit, tum demum itineribus lente et tarde confectis, dictus Don Hugo, eidem Sanctitati coniunctionem et condiciones eas afferens, quas cum Vestra Sanctitas tam sæpe, tamque uehementer petisset, toties (ut ait) repulsa et repudiata fuerit: quarum tunc accipiendarum occasio, et tempus præterierant. Duo hic, Pater Sancte, consideranda, intuendaque uidentur: quæ pro-